

referri posse ad illustrationem quidem intra intellectum existentem, sed tamen ex parte objecti, quod tantum proponit et ostendit, se tenentem.

Nec dicas 1º. Pelagius anathematizavit eos, qui gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari opinantur, et illud putant in libero arbitrio esse, vel in lege Dei ac doctrina, ut Aug. docet L. de gest. Pel. c. 14. Ergo admisit gratiam illustrationis interiorem a lege scilicet distinctam ut necessariam.

R. D. Cons. Admisit ut necessariam simpliciter N. ut necessariam ad facilius observanda præcepta et operandum C. S. Aug. ex Pelagii doctrina L. de hæres. exposita colligens observat: *Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilis, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina.*

Nec dicas 2º. S. Aug. alibi saepius et L. de gr. Chr. c. 47. unum adversus Pelagianos contendit, ut non solum fateantur adjuvari a Deo possibilitatem per mentis illuminationem, verum etiam voluntatem et actionem per subministrationem Spiritus sancti; hoc enim concessu, *nihil*, inquit, *de adjutorio gratiae Dei, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquentur;* ergo Pelagius in nullo dissensit ab Aug. circa illustrationem internam.

R. D. A. Dixit nihil futurum controversiae de adjutorio Dei, quantum præcise pertinet ad substantiam vel genus gratiae C. quantum spectat ad conditions vel proprietates gratiae N. Gratia Christi *propria et completa* quoad substantiam quasi completebatur duo genera auxiliorum internorum, unum ex parte *intellectus*, alterum ex parte *voluntatis*; primo itaque concessu a Pelagio, exigebat Aug. ut et alterum admitteret, et sic quoad hoc nulla futura erat controversia. Sed eadem gratia essentialiter etiam requireret tanquam prædicata propria, ut esset *gratuita*, et daret *simpliciter* posse vel potentiam actus salutares eliciendi. Atque Pelagium non minus urgebat S. AUGUSTINUS, ut duplum hanc proprietatem agnosceret in ea, quam admittebat, gratia, ac illud voluntatis adjutorium.

QUÆRES II. *An Pelagiani admiserint tandem gratiam inspirationis, seu auxilium internum voluntatis?*

184. R. I. Nec Pelagius, nec Celestius admiserunt gratiam interiorem voluntatis.

Prob. de Pelagio. S. Aug. de universa Pelagii doctrina L. de gr. Chr. c. 5. sic enuntiat: *Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio; sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo; tanquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in natura: cætera vero duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma et fortia et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio: et ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle et agere valeamus.* Idem judicavit S. Aug. de scriptis Pelagii singulis, ad quæ hic provocavit.

Prob. de Celestio. Testatur S. Aug. L. de gr. Chr. c. 30. n. 32. *Nam ut de Celestii opusculis interim taceam, vel libellis ejus, quos judiciis ecclesiasticis allegavit, quæ vobis omnia, cum aliis quas necessarias existimavimus litteris,mittenda curavimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis advertere non eum ponere Dei gratiam, quæ juvamur, vel ad declinandum a malo, vel*

ad faciendum bonum præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina.

Nec dicas 1º. Pelagius ultro concedebat possibilitem boni, seu potestatem bene agendi esse a Deo, et simul etiam *adjutorium possibilites*, ut constat ex c. 3. et 4. L. de gr. Chr.: sed adjutorium istud vera est et interna voluntatis gratia; ergo. 2º. Pelagius admisit interiorem illustrationis gratiam; agnovit pariter ex illa illustratione oriri quosdam voluntatis motus indeliberatos: sed hi motus sunt ipsissima voluntatis gratia; ergo.

R. Ad 1º. N. m. Præter hactenus dicta id liquet ex L. de gr. Chr. c. 41. ubi S. Aug. de Pelagianis ait: *Nullum auxilium gratiae credunt, qua naturæ possibilis adjuvetur, nisi in lege atque doctrina.*

R. Ad 2º. D. 2º. p. M. Agnovit motus indeliberatos mere naturales ex ipsa scilicet voluntate prosilientes occasione illustrationis intellectus C. motus supernaturales N. vel *subd.* qui a divina gratia proprie, immediate et effienter in ipsa voluntate excitati promanant N. qui et quatenus metaphorice, mediate et objective, ratione scilicet objecti supernaturaliter propositi, dicuntur supernaturales C.

185. R. II. Nec Pelagiani reliqui, etiam post damnationem hæreseos a ZOSIMO latam, admiserunt interiorem voluntatis gratiam.

Prob. universim de Pelagianis ex L. de heresibus, quem S. Aug. scripsit post libros Retractationum, ut patet, tum quod ejus recensio nulla fiat in his libris, tum quod id ipsum testetur epistola ad Quodvultdeum huic libro præfixa; unde et Lovanienses operum S. Aug. editores in Tomi 6. initio notant, eum vel postremum, vel inter postremos esse scriptum.

Prob. speciatim de Juliano. Quamvis concedamus hunc, pluribus loquendi formulis, visum fuisse declinare ad *Semipelagianismum*, tamen non minus ille, ac ante Pelagius, variatione verborum qualicumque potuit duntaxat facere fucum, et revera nec recedere a Pelagiano systemate, nec aliam gratiam admittere, quam quæ per revelationem sapientiæ et mentis illuminationem, non vero per virtutis subministrationem operetur. Atque hoc etiam evenisse probabilis persuadet tum Juliani ingenium acre ac tortuosum: tum AUGUSTINI in L. de heresibus ad Quodvultdeum c. 88. testimonium, quod Julianus et reliquis Pelagianis injuriosum ac calumnia plenum foret, si illi reipsa mutassent de gratia voluntatis sententiam: tum quod S. Aug. Juliano æque ac aliis post an. 418. eumdem errorem, quem antea tenuerant, objiciat et oppugnet.

Nec dicas: S. Aug. in posterioribus suis libris docet 1º. Julianum admisisse gratiam, qua *in ipso opere homo adjuvetur*; patet ex L. 1. cont. duas ep. Pelag. ad Bonif. c. 18. etc. 2º. Eundem et reliquos Pelagianos convictos agnoscisse gratiam, per quam *bene operamur*, per quam *lex impletur*, et *natura liberatur*, per quam fit, *ut peccatum non dominetur*; liquet ex L. de gr. et lib. arb. c. 14. 3º. De iisdem testatur unicum eorum effugium jam esse, quod dicant gratiam præcedere *merita naturæ*, ut loca modo indicata docent; aut eo etiam deflectere, ut dicant Dei gratiam esse *adjutricem ad facilius faciendum*, ut habetur in serm. 13. de verb. Apost. c. 11. et 12. (al. serm. 156. n. 12. 13.) Unde etiam S. Doctor totus est in debellandis duntaxat his effugis Pelagianorum, tum in LL. cont. duas ep. Pelag. ad Bonif.

et de gr. ac lib. arb., tum in illo sermone. 4º. Recensens L. de don. persev. c. 2. n. 4. ea, quæ contra Pelagianos Catholica tenet Ecclesia, nihil circa gratiam commemorat, quam quod ipsa necessaria sit et gratuita; ergo non obscure indicat, eos tunc recte sensisse circa substantiam gratiae, et sic internum voluntatis auxilium admisisse.

R. Cum et Jansenius et reliqui Doctores, qui nobis hic contrariantur, admittant plerique a Pelagio non fuisse admissam gratiam voluntatis, inde manifesta contra illos potest formari instantia. Nam et hic æque energice, ac Julianus et reliqui Pelagiani, dixerat *Deum operari in nobis velle, quod bonum, dum revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem*, quin tamen his formulis veram actionis gratiam fateretur. Nec minus ille etiam dilabebatur ad duo illa effugia, et S. Aug. jam in libris suis prioribus hæc præcludere laboraverat; et tamen inferri hinc aliquid contra communem, quam nobiscum tenent sententiam, non patiuntur adversarii.

Unde ad 1º. et 2º. R. Admissam esse gratiam, qua Spiritu sancto interiorius illuminante illustratur intellectus, atque sic mediate juvet homo in opere, lex impleatur, natura liberetur, peccatum non dominetur: non vero talem, quæ subministratio virtutis et immediata efficacia ipsam voluntatem et actionem juvet intime atque perficiat.

Ad 3º. R. Pelagianos hic et suum ingenium et communem hæreficorum morem observasse, ut jam huc jam illuc dilabi conarentur: S. Doctorem autem pro suo ardore et copia fecisse, ne locum elabendi ullum pateretur. Cæterum labor ille in asserenda *necessitate et gratuitate gratiae conferebat* quoque plurimum ad ipsam gratiae naturam et substantiam evincendam; atque hinc posteriorem quæstionem quasi concessam, et ideo omissam esse, nullatenus dici potest.

Ad 4º. R. similiter. Quod vero in L. de don. persev. referre omisit, quia id materia quæstionis non exigebat, retulit tamen luculenter tum post etiam hujus libri in L. de hæres. c. 88., tum paulo ante in L. de gr. et lib. arb. ubi c. 11. *Quid est ergo, inquit, quod vanissimi homines et perversissimi Pelagiani legem dicunt esse Dei gratiam, qua juvamus ad non peccandum.*

QUÆRES III. An Pelagiani admiserint gratiam habitualem?

186. R. I. Si verba Pelagianorum spectentur, certum videtur, ab illis agnoscere tam et admissam esse gratiam habitualem.

Prob. Julianus apud S. Aug. L. 1. contr. eumdem c. 6. n. 21. sic ait, citans verba JOANN. CHRYS. hom. ad Neophyton: *Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.*

Conf. Ex effectibus, quos Pelagiani gratiae Christi a se receptæ tribuerunt. Ii autem sunt 1º. ABSTERSIO PECCATORUM; sic Julianus apud S. Aug. L. 2. op. imperf. n. 212. *Gratia... infusa semel uno virtutis sue impetu atque compedio, diversa et plurima delet crimina.* 2º. INSTAURATIO ET INNOVATIO NATURÆ; sic Julian. apud Aug. L. 3. contr. eum. c. 3. n. 8. *Christus... auget circa imaginem suam continua largitate beneficia; et quos fecerat condendo bonos,*

facit innovando adoptandoque meliores. Et Pelagius ep. ad Demetriad. INSTAURATI PER GRATIAM CHRISTI ET IN MELIOREM HOMINEM RENATI SUMUS. 3º. REGENERATIO; sic Julian. apud Aug. L. 3. cont. eum. c. 3. et Pelagius apud Aug. L. de hæres. c. 88. similiter de regeneratione per baptismum loquuntur. 4º. JUSTIFICATIO ET SANCTIFICATIO; sic enim Julian. apud S. Aug. L. 2. op. imperf. n. 212. *Ideo ait (Apostolus) ex multis delictis in justificationem; id est, ex multis delictis liberatos homines ad gloriam perducit justificationis indulxæ.* Pelagius vero in Comment. ad c. 5. ep. ad Rom. et ad c. 5. ep. 2. ad Cor. idem ait. 5º. ADOPTIO ET HÆREDITAS; sic enim Pelagianos S. Aug. L. 2. ad Bonif. c. 6. n. 41. compellat: *Regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis, immo etiam praedicatis.* 6º. INFUSIO VEL COLLATIO VIRTUTUM; sic Julianus apud S. Aug. L. 1. op. imperf. n. 53. ait: *Hanc (baptismatis) gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima munieribus ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus et humanae statuum diversitatibus, una, tam remediorum collatrice quam munera, virtute medicatur.*

187. R. II. Si artes et subdolæ Pelagianorum explicationes attendantur, incertum videtur an gratiam habitualem admiserint.

Ratio est, quia sicut variæ et energiæ loquendi formulæ, quibus videbantur asserere *adjutorium voluntatis*, erant compositæ ad fucum Catholicis faciendum, nihilque reipsa præter legem, doctrinam, revelationem et internam illustrationem concedebant: ita totus etiam ille verborum apparatus ex simili arte videtur esse profectus, nec *gratiam habitualem* in sensu Catholicico asserere. Probabiliter enim opinari licet, Pelagianos tantum intellexisse remissionem evenire per simplicem externam peccatorum condonationem: *sanctificationem*, regenerationem et adoptionem similiter per externum favorem Dei ad regnum destinantis; sicut sola Principis voluntate quis ad regni dignitates destinari potest, quin aliqua illi virtus interna communicetur: *virtutum* etiam collationem, cum haec sint illa ipsa gratiae opera et munia, fieri et explicari per intrinsecam condonationem vel favorem.

Fundamentum hujus assertionis præbet S. AUGUSTINUS, qui 1º. DE REMISIONE PECCATORUM sensum Pelagianum sic explicat L. 6. contr. Julian. c. 23. n. 72. eumdem alloquens: *Tu a vestro dogmate non recidis, quo putatis gratiam Dei per J. C. D. N. sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata et desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis.* 2º. DE INSTAURATIONE ET REGENERATIONE similiter loquitur S. Aug., L. de gr. Ch. c. 38. n. 42. 3º. DE JUSTIFICATIONE ET SANCTIFICATIONE ad eumdem sensum pertinet S. AUGUSTINI effatum, ex L. de gr. Christi c. 30. n. 31. *Istam gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii et Celestii scriptis... nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* 4º. DE VIRTUTIBUS ac nominatim de fide nihil probant; verba enim Juliani supra cit.: *Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima munieribus ac reverenda virtutibus etc., vel ipso Jansenio hic adversario judice, intelligi possunt de gratia baptismi intransitive sumpta, id est, de baptismismo, qui vires habeat ad multos effectus præstandos ratione et modo nuper assi-*

gnatis. Adhuc S. AUG. L. 6. contr. Julian. c. 3. n. 6., ubi eatenus parvulos tantum ex eorum sententia dicit fideles, quatenus per alios credunt. *Velitis, nolitis*, inquit, *parvulos credere confitemini in Christum per corda et ora gestantium.*

ARTICULUS II.

QUINAM PRIMI FUERINT SEMIPELAGIANI EORUMQUE DEBELLATORES ET ERRORES?

188. *Nota.* Semipelagiani eo nomine appellati, quod multa Pelagianorum dogmata ejurantes aliqua tamen retinuerint, dimidiato quasi errore ea secuti, in quibus, teste PROSPERO, non mediocris pestilentiae fibra nutritur. Dicti etiam sunt *Reliquiae Pelagianorum*, quod ex eorum cineribus excitati partem aliquam erroris iam prostrati superstitem facerent: dicti item *Massilienses* ab urbe Massiliensi in Gallia, in qua Semipelagiani existebant, de quorum erroribus S. PROSPER et HILARIUS ad S. AUGUSTINUM retulerunt.

189. *Dico I.* Inter Semipelagianorum principes numerantur 1º. *Joannes Cassianus*, natione Gallus, vitam monasticam primum in Palæstinæ et Ægypti cœnobii professus, dein Diaconus a S. JOANNE CHRYSOST. ordinatus, post ejus obitum Massiliensis Presbyter factus, in extructo Massiliae cœnobio subsistens. *Collatoris* nomen nactus est, ob scriptos de Institutis Monachorum Ægypti commentarios et Patrum Collationes, in quarum decima tertia præsertim Semipelagianos errores diserte docuit.

2º. *Faustus* natione Britannus, primum cœnobii Lirinensis Abbas, post Rejensis in Gallia Episcopus, errorum a Joanne Cassiano haustorum propugnator acerrimus, post an. 473. Libros 2. de gratia et libero arbitrio edidit, in quibus Massiliensium dogmata et columnias contra S. AUGUSTINUM, ejusque præsertim librum de prædestinatione, instauravit.

3º. *Vincentius*, de quo inter eruditos est controversia, secundum Norisium et Nat. Alexandrum est ille, qui Tulli natus, cœnobii Lirinensis in Provincia Monachus et Abbas, scripsit Commonitorum duplex adversus Hæreticos, et hinc ab iisdem Vincentianarum, numero sexdecim, objectionum auctor habetur, atque in ipso Commonitorio tecte et per cuniculos S. AUGUSTINUM ac ejus discipulos impugnasse perhibetur, ante annum 450. mortuus. His secundum communiorem addendum venit.

4º. *Gennadius* Massiliensis Presbyter, cuius animus factioni Semipelagianæ addictus ex libro colligitur, quem de Viris illustribus anno circiter 490. conscripsit.

Præter hos in Semipelagiano errore se aliquando versatum fatetur S. AUG. L. de prædest. Sanct. c. 3., et hinc quasdam propositiones Expositionum in epist. ad Roman. ante Episcopatum scriptarum in LL. Retract. emendat. In eundem errorem prolapsi fuerant *Vitalis* quidam Carthaginensis et nonnulli *Monachi Adrumetini*, quorum tamen primum revocavit S. AUG., ut ex ejus epist. 107. (al. 217.), liquet: postremos autem idem etiam statim corripuit. *Severum Sulpitium* Semipelagianum putavit Baronius; sed edidit pro eo apologiam Guibertus Abbas Gemblacensis, et ex Chronologia eum vindicavit Labbeus: *S. Honoratum* Massiliens. Ep. in similem suspicionem deduxit Norisius, sed ab eadem liberavit eum Nat. Alexander: Jansenius denique S. Joannem

Chrysost., S. Hieronymum aliasque nonnullos Patres, maxime Graecos eadem fuligine aspersit, quam injuriam deterserunt plures tum Scholastici, tum Historici.

190. *Dico II.* Præter S. AUGUSTINUM, qui delatum ad se Semipelagianum Libris de prædestin. Sanctorum et de dōno perseverantie impugnavit, contra Gallos Lugdunensis et Arelatensis Provinciæ in novam sectam circa an. 428. coeuntes, tum Patres, tum Pontifices, tum Concilia decertarunt, et hæresin tandem contriverunt.

Inter PATRES referuntur S. PROSPER AQUITANUS, et HILARIUS, qui cum priore Semipelagianos ad S. AUGUSTINUM detulit; S. FULGENTIUS Ruspens. Ep., S. CÆSARIUS Arelatensis, JOANNES MAXENTIUS et PETRUS DIACONUS; quorum tamen primus ut tempore, sic et ardore et victoria fuit S. PROSPER. Nam eam in rem jam an. 429. scripsit epistolam ad Ruffinum: an. 432. exagitavit Joan. Cassianum libro contra Collatorem scripto: an. 434. respondit ad Capitulo 15. Gallorum calumniantium: edidit Responsiones ad excerpta Genuesium, in quibus difficultates quasdam in S. AUGUSTINI libris inventas Camillus et Theodorus Genueses Presbyteri proposuerant: adjecit etiam Responsiones ad Capitulo objectionum Vincentianarum. Sub haec tempora ex simili occasione scripsit Epigrammata plurima et celeberrimum Carmen de ingratis.

Inter PONTIFICES locum præcipuum habet COELESTINUS I., qui an. 432. data ad Gallicanos Episcopos epistola S. AUGUSTINI doctrinam contra Semipelagianorum columnias vindicavit; quod idem præstitit GELASIUS I. in epist. ad Picenos an. 494. CONCILIUM, ante Synodum Valentianam imperante Lothario an. 840. celebratam, et præter Valentinam a Cæsario Arelatensi an. 529. indictam, celeberrimum in hac materia est ARAUSICANUM II. eod. an. 529. a 14. Episcopis habitum, quod 24. Canonibus ex AUGUSTINI scriptis ad verbum expressis, et a FELICE Rom. Pontifice ad Concilium transmissis, errores Semipelagianorum damnavit, altero mox anno 530. a BONIFACIO II. P. M. data ad Cæsarium Arelat. epistola confirmatum; atque sic alis per orbem Episcopis silentibus facta est decisio, quam non sequi nemini permisum erat, ut ipsemet Quesnellus in Libro, cui titulus: *Traditio Ecclesiæ Romanae*, loquitur.

Ab hoc tempore Semipelagiani haberi hæretici coeperunt, cum antea Catholicæ nominis honore non exciderint, ut ex S. AUGUSTINI et PROSPERI operibus constat, qui illos etiamnum *Frates et dilectores suos, Catholicos, Corporales suos et participes gratiae Christi*, imo *Sanctos* compellabant. Hinc liquet, cur non obstantibus erroribus suis, se scilicet viventibus necdum ab Ecclesia damnatis, JOANNES CASSIANUS a S. GREG. M. L. 6. ep. 12. dicatur Sanctus, ejusque memoria Massiliæ colatur die 23. Junii: cur FAUSTI nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ Fastis sit adscriptum: cur auctoritas Commonitorii a VINCENTIO LIRINENSI scripti, ejusque tradita ibidem de Traditionibus et Patrum usu doctrina, non debeat rejici ab Heterodoxis; præsertim cum in his fidei regulis hic scriptor nec a S. AUGUSTINO, nec ab aliis Patribus, nec ab Ecclesiæ doctrina dissentiat.

191. *Dico III.* Semipelagiani de peccato originali et necessitate gratiæ Christi ad illius remissionem ac justitiam et salutem recte senserunt: Capitallis autem illorum error fuit, *initium* aliquod fidei, justitiae ac salutis esse